
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

T E T A N O.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

T E T A N O;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMNISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

J. P. RENNALLS,

JAMAICENSIS,

SOCIET. MED. REG. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

NECNON

SOCIET. NATUR. STUDIOS.

SOC.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

"Factor, crucior, agitor, stimulator."

PLAUT. CISTELL.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVII.

VIRIS HONORABILIBUS,

JOANNI RODON,

AVUNCULO AFFINI,

SENATORI JAMAICENSI,

ATQUE

PHILIPPO REDWOOD,

AVUNCULO,

PLEBIS JAMAICENSIS

LEGATO,

HAS

STUDIORUM

PRIMITIAS

D. D. CQUE

J. P. RENNALLS.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRO OPTIMO,

JACOBO WEDDERBURNE

DE INVERESK,

ARMIGERO,

PERTENUE HOC

GRATI ANIMI

TESTIMONIUM

LUBENTISSIME

OFFERT

J. P. RENNALLS.

DISPUTATIO MEDICA

JACOBO WILSON

CORRIGENDUM.

Pag. 53.—pro * Aud. WILSON. Prælect. *De Medicin. Pract.*
EDIN.—lege, Vide WILSON. *Inquiry into the Remote Cause of*
Urinary Gravel.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

T E T A N O.

J. P. RENNALLS, AUCTORE.

§ I. QUUM, secundum constituta almæ hujus Academiae, nemo summos medicinae honores antè consequi possit, quàm de re aliqua ad artem medicinalem pertinente disputationem edidit; mihi in animo est, quædam de *tetano* scribere, quæ, si permittatur, postea edam; eòque magis,

A

quòd

quòd, ut spero, meum erit, in patria medicinam facere, ubi dirus hic morbus frequens et fatalis est.

II. A CULLENO *tetanus* definitur, “ Plurimum musculorum spastica rigiditas :” quibus adjici oportet “ plerumque cum contractionibus “ *convulsivis, dolorificis* * :” nam, etiamsi musculorum rigiditas continuet, tamen subinde spasmi cum magno cruciatu augmentur.

III. *Tetanus*, utpote qui alios corporis atque alios musculos corripit, etiamque aliam atque aliam ejusdem deformitatem efficiat, omnes, ante CULLENUM, *nosologi* in diversas species dividebant. Hæ verò species, ut præclarus hic medicus aptè censet, aspectu utcunque diversæ, tantummodo ejusdem morbi varietates sunt ; quæ ex iisdem causis nascuntur, eadem medicamenta desiderant, neque, profectò, nisi vi et spasmorum

sede,

* Vide GULIELM. MUNRON. Dissertat. Medic. Inaug. de *Tetano*, EDIN. ann. M, DCC, LXXXIII.

mede, differunt. Hæ tamen varietates quæ sint, quàm paucissimis dicemus.

IV.—1. *Tetanus rectus* nominatur morbus, quando muscoli, cùm qui anteriora versus corpus inflectunt, tum qui retrorsum, spasmò æquè polent, atque corpus, in tabulæ rectæ similitudinem, in longitudinem porrigunt :

2. *Opisthotonos*, quoties, spasmò correptis cervicis spinæque musculis, caput truncusque retrorsum vehementer flectuntur :

3. *Emprosthotonos*, ubi in spasmos rapiuntur muscoli, quibus truncus, maximè caput, proclinatur :

4. *Trismus*, denique, si rigescunt muscoli, quibus maxilla inferior superiori attrahitur. Horum musculorum spasmus, semper *tetani recti* et

opisthotoni, quibus formis plerumque apparet morbus, quem persequimur, signum est.

V. HILLAREIUS * putat, *tetanus rectus* esse majorem tantum *opisthotoni* gradum; dum prorsus contrarium affirmat MOSELEIUS †, qui suam opinionem firmare conatur, conferendo, quam rationem, inter se, numero et vi habeant, musculos corporis posteriores et anteriores. Meâ verò opinione, hæc collatio parum interest, neque controversiam distrahit. Mihi magis inclinatus animus, ut HILLAREIO accedam; cum præsertim, sub finem *opisthotoni*, ubi musculos numero multò plures spasmi corripuerint, *tetanus rectus* haud rarò superveniat.

VI. *Emprosthotonos* adeò rarò apparet, ut quidam dubitaverint, utrum, necne, existat.

CLARC

* Vide HILLAR. *On the Diseases of BARBADOS.*

† Vide MOSELEI. *On Tropical Diseases.*

CLARCIO * semel oblata est occasio videndi, spasmos modò anteriores musculos vehementius afficere, modò posteriores ; sic profectò, ut in eandem vitam *opisthotonos* et *emprosthotonos* conspirare viderentur. Alterum exemplum, huic ferè per omnia simile, literis prodidit SAUVAGESIUS.

VII. *Tetanus* in *idiopathicum* et *symptomaticum* dividi potest. Ille ex frigore, vel frigore simul et humore, corpori calefacto admotis oritur : hic, e nervis vulneratis aut læsis. *Tetanus* ex frigore, plerumque post quatuor quinqueve dies incipit : e nervis autem aliquà læsis, rarò ante dies decem quatuordecimve ; nunquam ferè post quindecim, licèt interdum multo seriùs.

SIGNA.

* Vide CLARC. *On the Diseases of INDIA.*

SIGNA.

VIII. QUUM CHALMERUS * *tetanium* in tres periodos dividerit, signa singularum propria narabimus. Has tamen periodos non semper æquè evidentes esse, concedendum est. “*Tetani,*” ut ait BONTIUS, “tam repentinus et subitùs est
 “aliquando impetus, ut dicto citiùs homines rigidi, non secùs ac statuæ, permaneant.” At plerumque hic morbus lentiùs obrepit, neque tam citò in tantam sævitiam increscit.

IX. PERIODUS PRIMA.—Mala, de quibus tetanicus, maximè qui ex frigore morbum nactus est, primùm solet conqueri, sunt lassitudo insolita, et sensus totius corporis molestus, iis profectò haud absimilia, quibus distillatione laborantes afficiuntur. Eodem ferè tempore, musculi

* Vide LOND. *Medical Observations and Inquiries.*

culi cervicis et humerorum usquè eò rigescunt, ut æger caput neque in alterutrum latus inclinare, neque deorsum proclinare queat, nisi eòdem simul truncus flectatur. Radice simul lingue dolente, et rigescentibus musculis, qui inferiorem maxillam superiori attrahunt, æger potest, ut sanus, neque datum alimentum dentibus conficere, neque confectum devorare.

X. Cùm eò (IX) perventum est, dolor vehemens, tanquam ex aliquo distrahente, sub cartilagine *ensiformi* sentitur, et hinc identidem dorsum subitò petit. Quò cum pervenit, cervicis musculis spasmò vehementiùs correptis, caput retrahitur; atque, musculis *masseteribus* et *temporalibus* itidem affectis, maxillæ superiori quàm maximè attrahitur et apprimitur inferior. Nunc devorare multo, quàm antea, difficilius est; et quoties, per remissiones, devorare æger aggreditur, spasmi confestim vehementiores redeunt.

XI. Ex

XI. Ex quo tempore, morbus eò (x) gravitatis increvit, spasmi, vertebrarum viâ, ad inferiorum membrorum musculos proficiscuntur, atque hos in gravissimas contractiones rapiunt. Per primam *tetani* periodum, arteriarum ictus modò tardi sunt et duri, modò prorsùs naturales.

XII. *PERIODUS SECUNDA*.—Neque *tetanus*, simul ut eò (xi.) processerit gravitatis, cursum sistit. Dolor sub cartilagine *ensiformi*, sextâ quaque quartâve horæ parte, redit; atque, illico pòst, muscoli spinæ et inferioris maxillæ in gravissimos cientur spasmos, qui, non ante pauca temporis minuta, remittunt. Nunc, licèt rigiditas musculorum ferè perpetua sit, at hi tamen, in spasmos violentissimos, loquendo, quolibet animi corporisve motu, aliisque causis vel levissimis, rapiuntur. Arteriæ, singulis temporis minutis, a quadragies ad octogies, atque, ut ait CHALMERUS, solito duriùs micant. Inter autem accessiones, aliquanto celeriùs moventur.

XIII. Fa-

XIII. -Facies identidem pallida est. Sæpius tamen, supra consuetudinem, rubra est; ejusque notæ, quantis doloribus æger crucietur, verbis significantiùs exprimunt. Increscente morbo, vultus, faciei interdum etiam oculorum musculis in gravissimos spasmos raptis, horrendum in modum distorquetur,

XIV. *PERIODUS TERTIA.*—Cùm primum eò (XIII.) pervenerit *tetanus*, spasmi, brevioribus temporibus interpositis, nempe singulis fermè minutis, graviores regrediuntur, et diutiùs perstant. Membrorum superiorum musculi in contractiones cientur. Musculis totius corporis rigidis, corporeque, supinus si æger sit, duntaxat occipitio et calcibus lectum contingente, spina speciem arcûs repræsentat. Interdum, spasmis subitò et vehementer intentis, æger lecto in longinquum dicto citiùs ejcitur. Certiores nos facit CHALMERUS, carporum et digitorum musculos incolumes manere. At a MOSELEIO acci-

pimus, omnes ferè tetanicos pollices manuum involas digitis comprimere.

XV. Hac morbi (xiv.) periodo, arteriarum pulsus sunt celeres, exiles, et inæquales. Spiritus itidem solito celerius atque interruptè hauritur. Cor vehementer palpitatur. Calor corporis, qui antehac vix, si omnino, naturalem excedebat, nunc sæpe multum intenditur; atque summa identidem cutis sudore manat, imò etiam maculis rubris, miliaria semina simulantibus, subinde efflorescit. Haud rarò calor adeò non intenditur, ut, in his ægris summum ubique corpus, in illis extrema membra, inalgescant et inhorrescant. Sudor, qui summo corpore emanat, haud rarò frigidus est, atque lentus.

XVI. Nonnunquam tetanicis ventriculus nausæa aut vomitu afficitur; at multo tamen sæpius naturalis est, et cibos non solum appetit, sed
etiam

etiam devoratos, si quando devorare potest, ut sanus perficit.

XVII. Abdomen, præ vehementibus musculorum spasmis, retrorsum validè trahitur; et tactu sæpenumero durum, sicuti tabula, est: Tetanicorum semper astricta est alvus; quod signum nonnulli existimârunt magnâ opii vi oriri, quam devorandam curare solent medici. Nobis autem videtur, morbo quodam ipsius alvi effici, quem comitem *tetanus* habet; eòque magis, quòd, cadaveribus tetanicorum incisis, alvus quorundam, per totam longitudinem, constricta reperta est; in aliis una ejus pars in aliam accepta.

XVIII. Anus, præ spasmis fibrarum musculosarum, quarum est eum claudere, interdum usque eò constringitur, ut clystèrem intromittere nequeat. Aliàs, fibris, quæ vesicæ osculum

constringere solent, enixè contractis, nihil quicquam urinæ potest egeri.

XIX. Per totum morbum, somnus multùm interpellatur: at maximè sub finem, ubi miserandus æger dies noctesque vigilat; si quando enim vel somniculosus tunc evadat, resævientibus spasmis confestim excitatur.

XX. Mens plerumque, usque ad ultimum, sana est. Interdum tamen, morte instante, atque omnibus corporis functionibus turbatis et conquieturis, delirium nascitur.

XXI. Nonnunquam, ante mortem, æger, ex toto, cæcus fit; haud rarò etiam surdus, vel surdaster. Tandem, infandis cruciatibus, fame et siti confectus, atque plerumque omnia unà simulque membra convulsus, tetanicus mortem occumbit.

XXII. Non-

XXII. Nonnunquam, ante mortem, musculi relaxantur. Post mortem, interdum brevi flaccidi fiunt; interdum manent rigidi.

XXIII. Ineunte morbo, sanguis naturalis est: incremente verò, solito dissolutior fit; atque ægriùs coit, imò strias interdum supernè repræsentat. Pelliculam autem albidam, qualis inflammationem urgere significat, rarò exhibet. Interdum tamen, ut ferunt auctores, ei hujusmodi pellicula obducitur; et tum, forsàn, maximè, cùm, in frigidioribus regionibus, homines corpora pleni *tetano* corripuntur.

XXIV. Signa primæ periodi, interdum biduum triduumve, antè perstant, quàm ingravescunt. Sæpius tamen *tetanus* brevi increcit ad summam sævitiam; atque, modò viginti quatuor horis, modò triginta sex, modò quadraginta octo, saltem plerumque ante quartum ab initio diem, ægrum absumit.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXV. QUIBUS legibus *nervosum genus* pareat, adeò etiam nunc obscurum est, ut nihil aliud, quàm conjicere, quid sit proxima *tetani* causa, possimus. Veruntamen animadvertendo, in quo proclivitas in hunc morbum consistat, multa et quidem utilissima, de ejus natura et curatione, cognoscimus.

XXVI. *DEBILITATEM GIGNERE SPASMUM*, medicorum effatum seu axioma est, quod, quoad *tetanium* attinet, magna ex parte verum putamus. Hic enim morbus mortalibus, qui regiones curru propinqui solis æstuosas incolunt, ferè proprius est; namque, licèt nonnunquam, at rarissimè tamen eos invadit, qui in frigidis pigrisque locis inhabitant. Mor-

talium

talium corpora vehemente et diuturno calore debilitari et laxari, sat̄is sup̄erque constat. Ver̄um, in calidis regionibus, verisimillimum est, præter magnam et perpetuam vim caloris, aliquid esse, quod, nervos afficiendo, homines *tetano* obnoxios facit. Ut sic opiner, idcirco adductus sum; quòd, ubi tellus sole torrida est, vel robustissimi hominum *tetano* opportuni sunt, neque, ubi campi frigore pigrent, imbecilli, præ cæteris, apti sunt, qui hoc morbo plectantur.

XXVII. Quantum calida regio valeat, ad homines aptos faciendos, quos *tetanus* incurset, apparet ex eo, quod a RUSHIO, PHILADELPHIENSI, accipimus. Hic medicus, auctore SHOPEFTIO, qui, bello AMERICANO gliscente, valetudines ANSPACHINORUM militum, sub signis BRITANNICIS, inter oppugnandum NOVUM EBORACUM, anno millesimo septingentesimo octogesimo primo, sacrandâ principum pactione militantium, regebat, quique ipse GALLI-

cos chirurgos, post urbem conditionibus deditam, auctores habuit ; certiores facit, GALLICORUM militum, qui AMERICANIS auxilio venerant, eos solos in *tetanus* pronos fuisse, quos, protinus ante oppugnatam urbem, GRASSIUS, auxiliaris classis GALLICÆ præfectus, INDIA OCCIDENTALI navibus onerariis transvexerat, et cæterorum, qui in RHODIA INSULA hiemaverant, ne unum quidem hoc morbo correptum nedum absumptum fuisse.

XXVIII. Unà cum calore regionis, intemperantia, fatigatio, diæta tenuis et infirma, morbi nuperi, cæteraque qualia sint cunque debilitantia, committere possunt, ut mortales in *tetanus* procliviores evadant. Quinetiam, a GIRDLESTONE accipimus, MAHOMETANUM quendam, qui, protinus ut a congressu VENERIS victus recesserat, in frigidarium inconsultò properavit, vehementissimis omnium musculorum spasmis

spasmis correptum esse, et, dimidiâ horâ, morte, temeritatis eheu ! pretio, punitum.

XXIX. Mortales, omni ætate, et quocunque temperamento, apti sunt, qui *tetano* afficiantur : ii tamen, præ cæteris, qui juvenili aut virili ætate sunt et temperamento sanguineo ; utpote qui, propter irritabilitatem, spasmis opportuniores sint. Mares, quàm fœminæ, hoc morbo sæpius plectuntur ; non forsitan quia aptiores sunt, qui plectantur, sed quia causis excitantibus sæpius objiciuntur.

XXX. Milites, quippe cùm duris itinerum, duris præliorum, imò innumeris præterea casibus et discriminibus objectentur, in *tetanus* per sæpe incidere, haudquaquam, profectò, mirum est.

XXXI. Nigri autem servorum, miserandum sanè mortalium genus, præ vitæ conditione, sæ-

C'

pius,

pius, quàm vel ipsi milites, *tetano* trucidantur. Causis enim, cùm quæ corpus huic morbo opportunum faciunt, tum quæ in opportuno corpore eundem concitant, magis frequentiùsque exponuntur. Cibariis invalidis, ex terræ frugibus, unà cum pauxillo salitarum carniùm aut piscatûs, compositis, vivunt. Jussa duri domini exsequendo, gravem fatigationem subeunt. Occasione oblatâ, VENERI et BACCHO se totos dedunt. Cœli interdium varietatibus ferè semper, et diurno labore sub fervido sole peracto fatigati, nocturnis roribus haud rarò, obiectantur; neque, profectò, insolitum est, opere diurno finito, se in aquam frigidam præcipitare. Quinetiam, quum, pedibus nudis, servilia officia perficiant, multa exigua vulnera accipiunt, quilibus *tetanus* concitatur.

XXXII. *Tetanus*, ut certiores nos facit BISSETUS *, rarò, in JAMAICA, in nautico PORTUS

* Vide BISSET. *Essays and Observations.*

TUS REGII valetudinario accidit ; at in nautico GRENOVICI valetudinario, in loco paludoso ad septentrionalem PORTUS REGII partem sito, haud minùs duos ex tribus agrorum, quibus membra amputata sunt, absumit.

XXXIII. Multos e GALLICIS militibus, in utraque INDIA, proximo bello, *tetanus* rapuit. Chirurghi classis, cui præfuit DACHESIUS, memorant, vulneratos nautas ferè omnes, qui navibus bellicis in terram expositi erant, *tetano* correptos esse ; dum eorum, qui in navibus remanebant, perpauci in hunc inciderunt.

XXXIV. A BLANCO * accipimus, id profectò quod satis mirum est, socios navales navium bellicarum, BARFLEURÆ et BEDFORDIÆ, *tetano* rariores multò factos esse, quàm cæterarum, quibus RODNEIUS magnus præfectus est ; etiamsi illorum neque plures, pro multitudine

* Vide BLAN. *On the Diseases of Seamen*

pugnantium, vulnera accepissent, neque accepta vulnera graviora essent sanatuve difficiliora.

XXXV. Cùm ita esset, qua ex causa nautis BARFLEURANIS et BEDFORDIANIS *tetanus* infestior erat, quàm nautis cæterarum RODNEIANÆ classis navium? Nonne, uti, præ nervorum genere ad morbosum consensum flecti cæreo, semel olim morbus comitialis in *orphano-trophio* HARLEMANO, *hysteria* alibi haud rarò, spectatores omnes terribili visu animo et toto corpore perhorrescentes invaserunt; ita horrificus *tetanus* plurimos ex vulneratis nautarum, qui longas naves, BARFLEURAM et BEDFORDIAM, complebant, invadere potuit? Hoc fieri potuisse, verisimile est, eò quòd viso hydrophobo, vel etiam canis non rabidi morsu perterrefacti, interdum, ut ferunt medici, signis hydrophobiæ correpti sunt.

XXXVI. Ex iis, quæ paulò (xxxii.) suprà,

BIS=

BISSETO auctore, memoravimus, apparet cœli habitum committere posse, ut mortalium corpora in *tetanus* procliviora fiant. Namque temperiei PORTUS REGII et GRENOVICI, si ulla omnino esset, diversitas, id profectò quod creditu difficile est ; certè tanta tamen esse non posset, quanta efficeret, ut hìc, quàm illic, *tetanus* esset frequentior et lethalior.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

XXXVII. *Tetanus idiopathicus*, ut suprâ (VII.) diximus, ex calefacto corpore frigori, vel frigori et humori simul, exposito oritur. Hinc apparet, quare iis potissimum tempestatibus invadat, ubi vicissitudines caloris et frigoris maximæ atque frequentissimæ sunt, et fervidos dies pluviosi aut rorulenti vespere excipiunt.

XXXVIII. “ Nonne verò probabile est,” ait medicus ingeniosus in disputatione inaugurali, “ irritabilitatem ita a frigore esse adauctam, “ ut calor ipse diei sequentis, internorumque etiam stimulorum, quorum actio constans et sempiterna est, ad morbum excitandum sufficiant * ?”

XXXIX. Quo-

* Vide CLARC. Disput. Inaug. *De Tetano*. EDIN.

XXXIX. Quomodo frigus *tetani* concitet, explicatu imprimis difficile est. Verùm non possumus, quin opinioni hujus medici objiciamus, id profectò quod refellere non poterit, mortales interdum, sicuti a CHALMERO, GIRDLESTONE, aliisque idoneis auctoribus certiores facti sumus, *tetani* ipso tempore corripì, quo eorum corporibus frigus etiamnum admovetur.

XL. Auctor præclarus, * TOWNSENDIUS, nuperrimè probare conatus est, bilem et tenacem mucum, quibus, ex alternis caloris et frigoris vicibus, in calidis regionibus, ventriculus et alvus nimis onerantur, usque eò corpus irritare, ut, per se, ad *tetani* movendum satìs valeant.

XLI. Hic auctor, duos ægros ex GALLICO opere † citavit, quibus suam opinionem confirmaret.

* Vide TOWNSEND. *Guide to Health.*

† *L'Esprit des Journeaux.*

mare. Unus erat opisthotonicus, cui morbus tribus *tartritis potassæ stibiati* granis, quæ, acrivomitione motâ, effecerunt, ut incredibilis ferè vis tenacis et subalbidæ materiæ suprâ redderetur, sanatus est. Mala, quibus alter vexabatur, curata sunt devoratâ magnâ vi medicamenti, quod contra vermes efficax est, quodque, alvo acriter citatâ, hinc sex intestinos hostes præcipientes fugavit.

XLII. Multa præterea exempla *tetani*, quem concitâsse vermes videntur, literis tradita sunt. De uno, porrò, *tetano*, certiores facti sumus, qui *muriate hydrargyri dulci*, unâ cum opio, affatim assumpto, perductus ad sanitatem est.

XLIII. Si modò aptum sit corpus, quod his afficiatur, spasmos, tam *tonicos* quàm *clonicos*, interdum ex materiis, ventriculum et alvum irritantibus, oriri posse, nullus dubito. Verùm hujus tamen auctoris, quem (XL.) memoravi, opinionem

nionem implicitè et inconsideratè accipiendo, haud scio annon sæpissime in parum idoneam curandi rationem dirigantur medici, et medicamenta, quibus tempestivè datis morti forsitan cripiatur ager, negligant.

XLIV. *Tetanus symptomaticus* ex vulneribus quibuslibet oriri potest, at sæpissime tamen ex vulneribus punctu acceptis. Nonnunquam etiam concitatur nervo luxatis ossibus aliisque quibuscunque causis læso. Hoc autem imprimis mirandum est, vulneribus, quibus oritur, nihil malæ indolis proprium esse, unde fore, ut superveniat *tetanus*, prænoscere possimus. Imò, hic morbus haud rarò post incipit, quàm haud multùm abest, ut cicatricula confirmetur; atque adeò, nonnunquam post multò, quàm vulnus ad sanitatem pervenerit.

XLV. “ Ex observationibus,” ait medicus

D

præ-

præclarus *, “ auctorum, circa spasmos vulne-
 “ ribus supervenientes, liquidò patet, non a
 “ magnis magis, quàm paucis, imò contemnen-
 “ dis etiam vulneribus, timendos esse, parque
 “ periculum afferre.”

XLVI. Graves morbi majoris accessiones, ut a
 SHORTIO † accipimus, interdum irritatione con-
 citantur, quam ossiculum acutum, nervum cru-
 ralem offendens, moverit, atque, ossiculo subla-
 to, curantur. Certiores nos facit BOERHAVI-
 US, spasmos omnium musculorum nonnunquam,
 nudatum nervum forcipe chirurgi tangendo, ci-
 eri. Alia plurima memorare possumus, quæ,
 ex uno nervo læso vel irritato, totius corporis
 nervos irritationis participes fieri, ostendant;
 sed, ut nobis videtur, jam dicta sufficiunt.

XLVII. *Tetanus* autem, id profectò quod
 mirum

* Vide STOLL. *Rat. Med.*

† Vide LONDINIENS. *Philosoph. Act.*

mírur est, sæpius ex vulneribus exiguis oritur, quæ, quantum ex levitate supervenientis inflammationis judicare liceat, nullam ferè irritationem movent; atque magnà inflammationis vi, irritantibus vulneratæ parti admotis concitatâ, haud rarò arcetur, imò nonnunquam, etiam postquam invasit, in fugam vertitur.

XLVIII. In calidis regionibus, oportet chirurgos *tenaculo* magis uti; et, amputatis membris, quàm maximè cavere, ne, unà cum sectis arteriis, nerves ligent. Nervis enim ex incuria ligatis, haud forsàn rarò fieri potest, ut *tetanus* superveniat. Haud equidem ignari sumus, MOSELEIUM * asserere, nervis quidem non ligatis, nihilo tamen rariùs *tetanus* invadere. Quum autem alii contrarium affirmant, nobis tutissimum videtur, chirurgum cavere, et operam dare, ne ex ligatis nervis miserandus, cujus membrum amputatum sit, quid detrimenti capiat.

* Vide MOSELEI. *On Tropical Diseases.*

XLIX. Humores in tetanicorum cerebri cùm superficiem tum cava effusos, qui, capite post mortem patefacto, nonnunquàm conspiciuntur, *tetani* causam MORGAGNUS * putavit. Nobis verò probabilius videtur, effectus potiùs esse morbi, et dare occasionem paralyisi, qua, appropinquante morte, tetanici interdum afficiuntur.

L. Motus et mœror, qui animum, mirum in modum, demittunt, musculorum, sicuti accepimus, nonnunquam rigiditatem atque spasmos pariunt. Notabile *tetani* ex animi affectu exemplum memoriæ prodidit MEASEUS †, ipsa cujus verba hìc ponemus :—“ A melancholy case of
 “ fatal locked jaw fell under my notice in this
 “ city (PHILADELPHIA) during the summer of
 “ 1787, in a lady, from being awakened out of
 “ her sleep by the sudden arrival of her hus-
 “ band

* Vide MORGAG. *De Sedibus et Causis Morborum.*

† Vide MEAS. *On Hydrophobia.*

“ hand in the night. She was naturally pos-
 “ sessed of an uncommon sensibility of consti-
 “ tution, and had been affected with symptoms
 “ of puerperal fever for two days before the
 “ occurrence of the unhappy accident.”

LI. Spasmi, quos nimia vis opii concitat, ad eos tetanici generis pertinent, et, horum more, nunc remittunt, nunc intenduntur. WILSON compertus est, in ranis et cuniculis, solis enimvero animalibus, in quibus, quid faceret opium, periclitatus est, spasmos, quos movit, eos semper esse, quibus insigniatur *opisthotonos*, neque unquam, quibus aliæ *tetani* species cognoscantur.

LII. *Opisthotonon*, ut a WEPFERO accipimus, nonnunquam concitat radix cicutæ aquaticæ; et *trismum*, uti fert K. BOERHAVIUS, *stramonium*.

LIII. De-

LIII. Denique, alia forsitan venefica, præter quæ memoravimus, spasmis tetanicis occasionem dare possint. Silentio autem hæc præteribimus, quoniam, de hac rei nostræ parte, jam nimium multi fuimus.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

LIV. *Tetanus* notis adeò sibi propriis insignitur, ut, simul atque miserandum hominem invaserit, vix, pro alio ullo morbo, possit haberi. Ipso quidem initio, imprimis si a frigore inceperit, *rheumatismum* aliquantùm simulat; at, paucis post horis, uter morborum miserum mortalem incessiverit, medico plùs eheu! satìs constabit.

L.V. Haud ita pridem medici quidam, cognitã signorum quorundam similitudine, quæ *tetano* et *hydrophobiæ* est, adducti sunt, ut, hos morbos genere convenire, neque, nisi causis quibus oriuntur, differre, existimarent. Tres tetanici, unus a CURREIO, unus a DARVINO, a RUSHIO unus, literis mandati sunt, qui, prævehemente spasmo musculorum, quorum ope ci-

li et potus devorantur, timore aquæ, seu hydrophobiâ, affici visi sunt. Præterquam autem quòd tetanici spasmò horum musculorum, quantus, ne deglutiant, impediât, rarissimè vexantur, nisi sub morbi finem ; propriis quibusdam malis semper cruciantur, quibus morbus, quo laborant, hydrophobiâ dignoscatur.

LVI. Vera hydrophobia forsàn solo rabidi animalis morsu oritur. Dubium enimvero nobis videtur, annon hydrophobia, quam, quippe quia causâ non evidente nascitur, *SPONTANEAM* medici quidam appellant, et eodem porrò genere, que hydrophobiam ex morsu rabiosi animalis ortam, disponunt, potiùs *tetano* aut *hysteriæ* genere consentiat. Namque vel *hysterica*, propter spasmum aliudve malum musculorum, per quos sana alimentum jucundè devorat, poculenta, sicut hydrophobus, aversatur ac timet.

LVII. Tetanici, aliter atque hydrophobi, a-
quam

quam visam memoratamve rarissimè timent, atque, spasmis remittentibus, nonnunquam potulenta devorare possunt. Quinetiam *trismus*, et continua musculorum rigiditas, alia signa sunt, quæ hydrophobiâ *tetanicum* distinguunt. Nam hydrophoborum spasmi, aliter atque tetanicorum, ii potiùs sunt, qui *clonici* nominantur; atque, per remissiones, membris plerumque motus, usque ad extremum, manent. At hydrophobis tamen interdum rigescere musculos, concedendum est. Hæc verò rigiditas, eam, qua tetanicorum muscoli afficiuntur, rarissimè, si unquam, simulat. Per intervalla, subito invadit*; neque, dum remiserit, ægro permittit, ut corporis singulorumve membrorum posituram vel minimùm variet. Oriri videtur ægro omnes nervos contendente, ut dolores gravissimos, quibus toto corpore cruciatur, fortiter ferat.

LVIII. Tetanicorum, porrò, fauces, haud
E æquè

* Vide ARNOLD. *Case of Hydrophobia.*

æquè ac eas hydrophoborum, tenax mucus opplet et vexat. Illi quoque, quàm hi, minùs commoti animo sunt, rariùs insaniunt, rariùsque malis ventriculi afficiuntur.

LIX. Cadavera tam hydrophoborum, quàm, MEASEO teste, tetanicorum, citò putrescunt. Hæc verò in putredinem proclivitas haudquam, majorem hydrophobiæ et *tetani* similitudinem esse, ostendit, quàm quæ hydrophobiæ, et alii cuilibet morbo æquè acuto, intercedit; eòque minùs, quòd, ut plùs satis constat, defuncta animalium, quibus vita subitò erepta est, semper brevi putrescunt.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

LX. TETANICI, si quartum diem evaserunt, plerumque, ut ait CELSUS, sine periculo sunt. Ultra tamen hunc, imò, ut a MORGAGNO accipimus, ad vigesimum usque, interdum evadunt, tandemque vi morbi absumuntur. At nihilo tamen minùs ab omnibus auctoribus conceditur, quò diutius continuavit *tetanus*, in eò minore discrimine versari ægrum. Pauci tetanici, ut compertus est CHALMERUS, post diem nonum undecimumve, moriuntur. Morbum enimvero tamdiu ferre non possunt, nisi vel naturâ levis sit, vel, si initio gravis, multùm remiserit.

LXI. Quibus *tetanus* pepercit, eorum vires, mirum in modum, labefactantur. Tardè admodum convalescunt: haud rarò, per complures menses, præ musculorum impotentia, et to-

tius quidem corporis imbecillitate, nequeunt, sine assidentium amico auxilio, lecto se movere nedum tollere.

LXII. *Tetanus* ferè nunquam in sanitatem subito desinit; sed primùm paulùm remittit, deinde paulatim decedit. At interdum tamen salivâ spontaneâ, et, supra consuetudinem, copiosâ finiri videtur. Urina quoque, quæ arenosum sedimentum deponit, bonum, ut fert BURSERIUS, signum est; atque auctor HIPPOCRATES est, urinâ albidâ et crassâ semen genitale simulante *opisthotonon febrilem* solvi. HAENUS certiores nos facit, se nunquam urinam tetanicorum, qualem dicit HIPPOCRATES, propriis oculis vidisse; neque ex urinâ arenaceâ, quam bonum signum postea putavit BURSERIUS, de *tetani* eventu, certò prædicere potuisse. Utrùm humor lacteus cum urina redditus, quo quendam tetanicum levatum esse literis prodit BENEDICTUS, idem sit, atque is in urina, quam HIPPOCRATES

CRATES memoravit, neutiquam satis constat.
“Novi,” ait BURSERIUS, “matronam quan-
dam affectionibus *convulsivis* maximè obnoxii-
am, cui urinæ subturbidæ et subalbidæ pro-
deuntes magno levamini erant.”

LXIII. His inter se collatis, satis constat, ex urina inspecta, nihil, de *tetani* eventu, probabile nedum certum præ sagiri posse. Quocirca, magis opus est, ut animadvertamus, gravia, necne, signa sint; frequenterne spasmi intendantur; an ægro opitulata sint adhibita medicamenta; et, denique, utrùm ex frigore, an, quod multò pejus est, ex nervis vulneratis vel læsis, morbus inceperit: quippe ex quibus certiùs, quàm ex inspecta urina, tetanicis futura, seu bona seu mala, præsciscere et portendere possimus. Spasmi, quibus cruciantur tetanici, nonnunquam superveniente febre solvuntur; at extrema omnia frigescentia, hos in lubrico versari, semper portentunt.

CURATIO.

CURATIO.

LXIV. Contrariis, diversis, imò pugnanti-
bus inter se medicamentis cùm *tetano* pugnatum
est, et interdum prosperè. Nullâ medendi ra-
tione propositâ, quipote enim morbo nondum
intellecto medendi rationem proponere possu-
mus? de his, ut prima memoriæ occurrunt, sin-
gulatim dicemus.

LXV. *ANTISPASMODICA*.—Medica-
mentis, quæ spasmum solvendi facultate pollent,
palnam, et meritò, opium præripuit. Quò ve-
rò tetanicis optatò opituletur, opus est, ut vi
majore, quàm ut aliis morbis impliciti ferre pos-
sint, assumatur. Verùm ab exigua tamen dosi
incipere oportet; atque a minore ad majorem
paulatim transire, donicum ad eam perventum
sit, quæ vi dolorum spasmorumque opituletur.

Quantum

Quantum hujus medicamenti tetanici devorare possint, neque tamen capite doleant, neque delirant aut somno graventur, nulli enimvero, nisi qui vidit, credibile est.

LXVI. Tetanici tantam opii copiam impunè adhibere possunt, ob morbidam, uti videtur, *ner-
vosi generis* conditionem *. Quocirca, prout ex vi morbus remittat, hoc medicamentum parciùs parciùsque assumendum est, ne ex eo æger detrimentum capiat. Adolescens, ut certiores nos facit PERCIVAL †, qui gravi morbo *spasmodico* laborabat, per hebdomadam, uno quoque vespere, viginti duo grana opii, quò somnum conciliaret, frustrà devoravit.

* Infelix mortalis, *trismo* correptus, tribus diebus, ut a MOSELEIO accipimus, sex drachmas *sacchari Saturni* assumpsit : atque, quod profectò mirum in primis, hæc quantitas, licèt sano homini citam mortem intulisset, huic ægro boni pariter ac mali prorsùs inefficax erat.

† Vide PERCIVAL. *Essays Medical and Experimental*

ravit. Vespere octavo, eandem, quam solebat, copiam assumpsit. Spasmi quidem non, ut antea, rediêrunt; sed, ante lucem, infelix juvenis ad plures migraverat. Mortem, ut huic auctori visum est, attulerat opium, quòd, licèt per totam hebdomadam inefficax fuisset, tamen, octavâ nocte, præ mutata *nervosi generis* conditione, quæ aliquà acciderat, vires crudeliter exercuerat, vitamque adolescentis, pariter ac morbum, finiverat.

LXVII. Haud multùm interest, utrùm opium solutum sit an concretum, dummodo satis magna quantitas adhibeatur. GLOSTER*, medicus ANTIGUENSIS, hujus medicamenti ter quingena grana, septendecim diebus, assumenda curavit. RUSHIUS, contrà, cui tantus opii usus improbandus videtur, censet, exiguas duntaxat doses devorandas, quæ dolores levent, quibus ægri cruciantur.

LXVIII. Cer-

* Vide AMERICAN. *Philosophor. Act.*

LXVIII. Certiores nos facit LINDIUS *, spasmos tetanicorum, ut ipse semel compertus est, compluries opio et *camphora* pedibus appositis intermisisse, atque, his submotis, compluries redivisse. Hæc compertus, quærit, numne prodesset, vulneri partis, ex quo ortus *tetanus* est, vel etiam musculis spasmo correptis, opium solutum tantâ vi admovere, quanta torporem paralysinque efficeret.

LXIX. Tetanicus, ut fert BLANEUS, locuples utique auctor, ad sanitatem perductus est, maximè cataplasmatibus, quæ ex duodecim unciis concreti opii soluto opio emolliti constabant, extrinsecùs faucibus utrobique impositis.

LXX. Opium, ut HUCCIUS periculo compertus est, plùs contra *tetanus* pollet, si cum eo *moschus* conjunctus sit. Interdum quoque, auxiliante *comphora*, plùs potuisse videtur.

F

LXXI. Te.

* Vide LIND. *On the Diseases of Hot Climates.*

LXXI. Tetanicorum, porrò, in alvum opium, ex inferiore parte, indere, haud insolitum est.

LXXII. *ÆTHER VITRIOLICUS*,—utpote qui contra spasmos efficax sit, nobis idoneus videtur, quem, tetanicis, necne, opituletur, medici denuo compluries antè periclitentur, quàm, ex toto, de ordine medicamentorum qui spasmos solvunt, detruditur.

LXXIII. *BALNEUM*—diu remediis, quibus spasmi tetanicorum mitigari possunt, annumeratum est. Oportet totum ægrum, præter caput, sicuti *CHALMERO* videtur, in balneum immergere, cujus temperies neque minor eâ sit, quam, *BLANEO* judice, nonagesimus secundus, judicibus autem aliis, nonagesimus sextus *thermometri Farenhcitiani* gradus, indicat, nedum eâ major, quam centesimus secundus; atque ibi continere, donec arteriarum ictus pleni fiant et molles. Deinde, dimidiâ quaque horæ parte, ei opium
parcâ

parcâ haud manu dandum est, dum spasmi sub sterno desinant. Hæc dum fiunt, cùm abdomen, tum extrema corporis membra, aquâ tepidâ fovere, utilissimum erit.

LXXIV. GIRDLESTON * morbis *spasmodicis*, qui, orâ COROMANDELICA, sibi curæ erant, potissimùm medicamentis remediisque, quæ foveant calorem corporis, subvenire solebat. Horum præcipua erant balneum ; tepida cum opio in alvum subtèr data ; fomenta ; fricções ; prætereaque alia, quæ, in ventriculum assumpta, corporis calorem intendunt. Morbis verò, quos describit hic auctor, et cholerae magna intercedebat similitudo. Illis enim ægroti, licèt alvi profluvio vacarent, tamen gravi vomitu vexabantur, atque vix aliam curationem, atque eam, quam desiderant cholera laborantes, requirebant.

LXXV. Cùm tetanicis, qui ex frigore mor-

F 2

bum

* Vide GIRDLESTON. *On Hepatitis and the Spasmodic Affections of INDIA.*

bum nacti sunt, exhalatio cutis supprimatur, MORGAGNO aliisque visum est, his balneo, utpote quod vasa summi corporis in salutare motus cieat, optimè efficacissimèque subveniri. Verùm ita tamen, necne, sit, nondum satis constat. Quinimo, nostrâ opinione, esse vix potest, quin, ex indistincto ac promiscuo balnei usu, tetanici, quibus, præ regionis calore, musculi jam nimis laxi sunt, multum interdum detrimenti accipiant.

LXXVI. *OLEOSA*.—Eorum, qui spasmiss cruciabantur, summum corpus oleo unguentisve perfricare antiqui medici solebant; neque sanè desunt recentiores quidam, quibus idem factu utile videtur. Tetanicis, pariter atque, sicuti quidam putârunt, hydrophobis, opitularetur, non summam modò cutem oleo, vel, quod forsitan melius esset, unguento ex hydrargyro, perfricare, sed in ventriculum quoque olèum assumere?

mere? Certiores nos facit WARRENUS *, tàm dolores quàm spasmos tetanicorum, pennam oleo humectatam super temporibus trahendo, levatos esse. Cujusdam, porrò, vehementes spasmi, sicuti literis mandavit MORGAGNUS, devorato oleo curati sunt; atque aliàs convulsiones, quas vapores ex veneno fossili emanantes concitaverant, corpus in tepidarium olei immergendo sedatae.

LXXVII. Alvus, quoties seu morbus sive assumptum opium tardam et duram reddidit, idoneis medicamentis, aut ore devoratis aut ex inferiore parte infusis, citanda est et emollienda.

LXXVIII. *HYDRARGYRUS*.—Postquam balneum et opium sæpius fecerant, quàm responderant, medici undique auxilium, quo *tetanus* fugarent, quærentes, quid, contra infestissimum hunc formidolosissimumque morbum, posset

* Vide BLAN. *On the Diseases of Seamen*.

set hydrargyrus *, experiri statuerunt. Tentatus ad spem, mirum in modum, respondit. Duodecim enim, qui ex frigore in *tetanium* inciderant, tempestivus hydrargyri usus, salivâ motâ, ad sanitatem perduxit. Verùm interdum tamen hydrargyrus, pariter atque alia medicamenta, spem frustratur. Ei enim interdum, præ brevi morbi cursu, tempus non datur, quo salutare effectus edat.

LXXIX. Unguenti ex hydrargyro fortissimi duabus ampliùs drachmis summum corpus, at maximè tamen cervicem et fauces, bis terve quotidie acriter infricare oportet, donec salivam moverit †. Censent quidam auctores, eodem tempore,

* RIVERIUS fortasse hydrargyrum, utpote quod tetanicis prodesset, primus suggestit. Ex eo enim accipimus, tetanicum, qui, ut credebatur, ex causa *sypbilitica* morbum nactus est, hydrargyro, dum salivaret, assumpto ad sanitatem pervenisse.

† CLARCIUS unguento cervicem et spinam, secundâ quaque horâ, infricabat, donec æger ore salivare inciperet. Neque verò

tempore, quò maturiùs et affluentius salivent ægri, gingivas et labia etiam criss interna *muriate hydrargyri dulci* fricanda esse; eòque magis, quòd manante salivà vim morbi decrescere comperti sunt.

LXXX. RUSIUS, cui communis parens omnium malorum, quibus cruciantur tetanici, musculorum laxitas videtur, *tetanium* sanare conatur non corpori modò vigorem restituendo, sed idem quoque ex inepto aliquatenus aptum reddendo, quod inflammationem concipiat. Hæc faciendi potertiã hydrargyrum pollere existimat: utpote medicamentum, quod totum corpus stimulet; irritationem et inflammationem oris et faucium moveat; atque committat, ut sanguis, ex aliquopiam ejus usu salivam manante missus, eandem per omnia speciem præ se ferat, quam is ex ægris, qui morbis inflammationem

ha-

verò unguentum, ut ipse certiores facit, pondere æstimabat, neque liquidum opium mensurã.

habentibus laborant. Simili totum corpus stimulandi ac irritandi facultate, sicuti huic auctori videtur, pollent exulceratoria summo corpori imposita.

LXXXI. RUSHII opinio de hydrargyri et exulceratoriorum virtutibus, ei GIRDLESTONIS nequiquam convenit. Morbi enim spastici, quibus, in INDIA ORIENTALI, mortales tam sæpe absumuntur, nunquam, sicuti scribit hic auctor, morte finiuntur, dum summo corpori tantum superest caloris, quantum permittat, ut hydrargyrus absorbeatur, atque imposita exulceratoria cutem rubefaciant.

LXXXII. FRIGIDARIUM.—Tetanicos aquâ frigidâ perfundere, sicut ab HIPPOCRATE accipimus, medici quidem veteres solebant. Hoc remedium, apud recentiores diu obsoletum, LINDIUS, quòd scimus, primus in usum revocavit.

LXXXIII. Ex quo tempore iterum invalere cœpit, tetanicos haud rarò sanavit. Iis, tertiâ quâque quartâve horâ, aquam, quantam contineat situla, bis terve ex alto affundere, nunquam, sicut periculo compertus est WRIGHTIUS *, non ad spem respondit. Tetanicos aquâ frigidâ perfundere, utilissimum esse, testantur quoque COCHRANUS †, et alii haud pauci fidi auctores.

LXXXIV. Summum corpus, simul ut aquâ satîs perfusum sit, penitùs exsiccandum est; deinde ægro in lectum imposito benigniter porrigenda sunt medicamenta, quæ modicum cutis halitum eliciant.

LXXXV. LINDIUS putat, fore utile, aquam frigidiorè reddere indito subinde sale neutro, veluti *muriate ammoniacæ* vel *nitrate potassæ*, qui,

G

dum

* Vide LONDON *Medical Observations and Inquiries*

† Vide *Medical Commentaries*.

dum deliquescit, vim frigoris intendat *. Imò contendunt quidam medici, cavendum esse, ut frigus diu continuet, perfusum ægrum linteis madidis involvendo.

LXXXVI. Interdum, id quod observandi WRIGHTIO semel oblata occasio est, decedenti *tetano* supervenit *rheumatismus*; ex quo, putamus, opinio RUSHII de curatione, quam suprâ memoravimus, multùm confirmatur.

LXXXVII. Tetanici, sicut a MOSELEIO accipimus, non iterum aquâ frigidâ perfundendi sunt, nisi primâ perfusione spasmi remiserint, et summum corpus modicè caluerit. Iteratæ perfusiones ex aqua frigida, si adsunt profusi aut frigidi sudores, usque eò, ait idem, perniciosæ sunt, ut mortem afferant.

LXXXVIII. CORTEX CINCHONÆ ET
VINUM.

* Vide LIND. p. 271.

VINUM.—Quò sanet corporis laxitatem, in qua proclivitatem in *tetanium* consistere putat, RUSHIUS medicamentis, ex iis quæ roborant et stimulant, *tetano* laborantibus subvenire solet. Hunc in finem, singulis diebus, duas tresve *cinchonæ* corticis uncias, unà cum duabus tribusve vini libris, assumendas curat. Semel, ubi vis morbi vehementiorem incitationem desiderare visa est, his medicamentis magnam olei succini copiam feliciter adjecit. Idem porrò auctor bis *tetanium* sanavit, datis simul hydrargyro et vino. Hydrargyrus enimvero tantà corpus æqualiter totum stimulandi facultate pollet, ut eo tetanicis subvenire fortasse nunquam non oporteat: quo enim cunque modo agat, vix ullum ex ejus usu detrimentum accipere possunt morbo correpti, qui, nisi ipse citò finiatur, ægros tollit. Quinetiam, quo tempore frictions cum unguento ex hydrargyro adhibentur, eodem nihil obstat, quò minùs aliis medicamentis miserandis tetanicis subveniatur.

LXXXIX. PETROLEUM BARBADENSE, ARNICA, CICUTA,—aliaque medicamentis annumerata, quæ contra *tetanus* polle-
re putantur, numne revera quid possint, minimè
satis constat.

XC. IGNIS ELECTREUS,—utpote qui
nervorum genus perquam incitet, idoneus vide-
tur; quem, quoties urgeat *tetanus*, medici ex-
periantur. Judice enim DUNCANO *, scriptis
præclaro, ad acriorem nervorum sensum hebe-
tandum, haud minùs, quàm ad hebetiorem acu-
endum, pollet. Quinetiam, hoc remedio WAT-
SON † vehementes spasmos *tonicos* semel curavit.
Eodem, porrò, *trismus* mitigavit SPREIUS ; at-
que levibus ictibus *electreis* MUNSON ‡ levavit *te-
tanum*

* Vide DUNCAN. *Medical Cases and Observations.*

† Vide *Philosophor. LOND. Act.*

‡ Vide *Cases and Observations by the Medical Society of
NEWHAVEN.*

tanum, ad quem levandum, opium, balneum, aliaque remedia tentata, nihil prorsùs pollebant.

XCI. *GAS HYDROCARBONATUM*,—quippe cùm spiritu in pulmones affatim haustum, committat, ut muscoli, mirum in modum, relaxentur, spasmos tetanicorum fortasse levaturum, auctores quidam existimant. Nonne quoque verisimillimum est, ex *gase oxygenio*, quippe quod, in pulmones extrinsecùs adductum, corpus vehementer incitet, tetanicos aliquid levaminis accepturos ?

XCII. *NUTRIENTIA PER ANUM IMMISSA*.—Quoniam tetanici haud rarò alimenta devorare nequeunt, opus est vires, quantum possit, sustentare nutrientibus in alvum subtèr datis. Quoties, præ devorandi impotentia, hoc necessarium sit, fortasse, sicut WILSON * opinetur, utile erit, alimenta injicienda, cum *succo gastrico*

* Aud. WILSON. Prælect. De Medicin. Prædic. EDIN.

trico animalis admixto, lento igne aliquantisper concoquere; eòque magis, quòd alimenta, nisi idoneo calore hoc succo solvantur, nequeunt in *chylum* converti, qui corpus salutariter nutriat.

XCIII. Verùm, dum adhibentur pauciora plura ex medicamentis, quæ (LXV.--XCI.) memoravimus, ut spasmi leventur; opus interea erit, ut ad vulnus, si quo vulnere hi provenerunt, animus medicus advertat.

XCIV. Parte vulneratâ ferro excisâ, vel nervis inter hanc et cerebrum ferro divisis, signa *tetani* sæpenumero levata sunt *. Verùm, si
 morbus

* Species *convulsionis* a SAUVAGESIO memoratur, quam *Convulsionem Indicam* nominat. Hæc *convulsio*, quæ *tetani*, ut nobis videtur, varietas est, ex vulneribus, quæ sanata fuerint, frigori objectis oritur; atque efficacissimè curatur efficiendo, opè ferri candentis, ut vulnus recrudescat. Eos, ait hic auc-

morbus jam aliquandiu increvit, haud rarè neque nervorum divisio, neque partis vulneratæ exsectio, spasmos levare potest.

XCV. Vulnera, ut aiunt omnes ferè auctores, ex quibus *tetanus* sæpissimè oritur, rarissimè inflammatione capiuntur. Hac re cognitâ, et insuper compertus, inflammationem partis totum corpus aptum reddere, quod morbis inflammationem habentibus corripitur, RUSHIUS factu, ne in *tetanum* vulneratus incidat, optimum putat, vulnere, priùs si opus ampliato, medicamenta stimulantia, præcipuè oleum terebinthinum, indere. NIGRI hominum in insula SANC-TÆ CRUCIS, quò *tetanum* arceant, solent vulnerebus emplastrum ex salis et sevi æqualibus partibus imponere. RUSHIUS putat, vulneratæ partis exsectionem *tetanum* curare, quoties inflam-

mationem

tor, præ cæteris, invadit, qui BORBONIAM et MASCARINAM, OCEANI INDICI insulas, incolunt *.

* Vide SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. IV. Ord. III. Gen. XIII. Spec. IX.

mationem sat̄s vehementem excitat ; sed ad curandum parum poliere, quoties non tantam vim inflammationis movet, quanta corpori impertiat vigorem, quo spasmos violentos perpetiatur, qui, sub finem, tetanicos excruciant.

PRO-

PROPHYLAXIS.

XCVI. *Tetanus*, quippe cùm morbus non gravissimus modò, sed periculosissimus quoque sit, vix minùs oportet præcavere, quàm sanare. Quocirca, qua ratione præcaveri possit, nunc paucis dicendum est.

XCVII. In calidis regionibus, fortasse satius esset morbos partium ferro curare non aggredi, dum cortice *cinchonæ*, vino, atque, nisi aliquid vetet, frigidario, vires refectæ sint. Viribus enim redintegratis, verisimile est, ex vulnere, quod ferro chirurgus faceret, *tetanus* vel non superventurum esse, vel, si superveniret, multo rariùs mortem allaturum.

XCVIII. Opere chirurgi finito, atque, dum

H

vulnus

vulnus hinc factum sanetur, oportet ægrum assumere medicamenta, ex iis quæ vires corporis refovent, nisi superveniat tanta vis inflammationis aut febris, quanta eorum usum prohibeat. Eodem tempore, unoquoque vespere, opium, quod nimiam corporis irritabilitatem hebetet, æger adhibere debet.

XCIX. Post vulnera casu accepta, ex quibus *tetanus* oriri solet, eadem, quæ (LXXXVIII et xcv) memoravimus, medicamenta assumenda sunt.

C. CLARCIO *, medico DOMINICENSI, hydrargyrus efficacissimum, contra *tetanus*, medicamentum visus est. Quapropter, duo grana *muriatis hydrargyri dulcis* ab iis, qui casu vulnera acceperant, assumenda curabat, atque parti vulneratæ unguentum ex hydrargyro apponendum. Post quamvis partem ferro incisam vel excisam, vespere devoranda faciebat tria grana

* Vide CLARD. *On Yellow Fever of DOMINICA.*

na *muriatis hydrargyri dulcis*, atque granum cum dimidio opii, et interdum paucas doses *cinchonæ corticis*.

CI. Species *tetani* est, qua, novem post partum diebus, vel saltem duabus hebdomadis, infantes persæpe rapiuntur, quæque a *nosologis* TRISMUS NASCENTIUM nominatur.

CII. Hic morbus infantibus miserandorum NIGRORUM, qui sacrando mercatorum commercio, in occidui seniorbis insulis, servitutem serviunt, præ cæteris, infestus est et exitiosus. Verùm, in EUROPA, tamen haud ignotus est. Magnam infantum stragem, in CATALONIA, dat; at MADRITI, ubi aestates multo calidiores sunt, omnino ignotus est. Eo quoque interdum, apud HELVETIOS et MONTICOLAS CALLEDONIOS, infantes rapiuntur.

CIII. Quibus causis oriatur hic (CI.) mor-

bus breviter dicere, deinde hoc opusculum concludere, nobis consilium est.

CIV. *AR IMPU US.*— Ex nulla fortasse causâ *trismus* infantum sæpius oritur, quàm ex aëre corrupto. Hinc satis constat, quare infantes **NIGRORUM** et inopum, qui in pauperibus tuguriis perflatum non habentibus habitant, frequentius invadat atque trucidet, quàm eos opulentorum, quibus omnia ad bene vivendum necessaria abundant.

CV. Certiores nos facit **CLARCIUS**, magnum numerum infantum **NIGRORUM**, in **DOMINICA**, *trismo* absumptum esse, etiamsi causæ, ex quibus oriri putabatur, quàm cautissimè vitatæ fuissent. Hoc cognito, suspicatus est, fumo ex ignibus concitari, quo **NIGRORUM** tuguria, quippe quibus nulla spiramina essent, plena esse solbant. Deinde, laudando **NIGRORUM** generis amore motus, in quibusdam prædiis valetudinaria

dinaria tabulis substrata, quibus NIGRÆ gravidæ parturirent, at in quibus ignes accendere non permetteretur, ædificanda curavit; atque infantum ibi natorum, neque indè, ante nonum post partum diem, submotorum, ne unus quidem *trismo* mortuus est.

CVI. *MECONIUM, ALIAQUE QUALIA SINT CUNQUE ALVUM IRRITANTIA*,—a CHALMERO, HILLAREIO, RUSHIO, atque EVANSIO, causæ *trismi* infantum habentur. Ne ex iis causis teneri infantes hoc morbo corripiantur, proximus medicus, ad cujus sententiam RUSHIUS, experientiâ perdoctus, accedit, alvum, haud multò post partum, lenioribus catharticis purgandam esse, censet.

CVII. *FUNICULUS UMBILICALIS POST PARTUM IMPERITE INCISUS AUT CURATUS*,—*trismo* infantum haud rarò, sicut medicis plùs satis constat,

stat, occasionem præbet. Ne ex hac causa *trismus* oriatur, optimè præcavèbitur ea facièndo, quæ, eundem in finem, CHISHOLMIUS facere solet*.

CVIII. Ab hoc (CVII.) auctore accipimus, in prædio quodam, in insula GRANATÆ, infantes NIGRORUM, licet iis alvus opportunè purgata esset, nihilo tamen minùs ferè *trismo* mortuos esse. Undique percunctatus, ut tam funesti morbi causam penitùs investigaret, compertus est, obstetrices, ad incisum funiculum umbilicalem sanandum, curam, qua opus erat, haudquam adhibere. Hoc cognito, præcepit, ut funiculus umbilicalis, primùm ut incisus, *spiritu terebinthino* curaretur. Ad spem respondit curatio, neque stragem postea infantum *trismus* dedit.

CLIX. “ Les INDIENS,” dit Mons. BAJON, “ ne perdent jamais aucun enfant du Mal de
“ Ma-

* Vide CHISHOLM. *On Yellow Fever.*

“ Machoire, parcequ'ils leur oignent le corps,
“ pendant les neuf premiers jours de leur nais-
“ sance, avec une substance grasse et huileuse,
“ qui les met a l'abri des impressions de l'air.
“ Dans les mêmes vues, dès qu'ils ont fait la
“ section de l'ombilic, ils appliquent, sur les
“ vaisseaux coupès, un emplatre agglutinatif*.”

CX. Ne *trismus* incidat, summâ curâ præ-
cavendum est, propterea quòd, quoties invadit,
toties ferè a matrum amplexu dilectos infantes
abripit. Quando incurSAT, iisdem medicamentis
remediisque cum eo, quibus cum cæteris *tetani*
speciebus, quàm opportunissimè pugnandum est.

CXI. Denique, cùm naturam *tetani*, quate-
nus eam cognoscere medici potuerunt, atque
quid potuerint varia medicamenta et remedia,
quibus huic a diversis medicis subventum est,
animo consideremus ; non possumus, quin con-
cludamus

* Vide DAZILLE. *Sur les Tetanos.*

cludamus cum RUSHIO, medicamenta et remedia, ex iis quæ corpus incitant et roborant, velut corticem *cinchonæ*, vinum, frigidarium, hydrargyrum, quibus opium majore copiâ, quàm vult hic auctor, addi debet, plurimùm non solùm ad curandum morbum pollere, sed etiam ad præveniendam debilitatem, quæ, post sanatum morbum, semper aliquandiu manet.

FINIS.